



Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatvs De Necessitate Et Modo Ministrandi
Sacramenta Tempore pestis**

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

48. Quid contra de illoru[m] qui omnib. vti volu[n]t?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

Q V Æ S T I O XLVIII.

*Quid contra de illorum qui omnibus vti
volunt?*

Quæstionis explicatio.

Rari sunt huiusmodi, visus tamen fuit
vnum nostro tempore, qui grassante
per Belgium & patriam Leodiensem peste
anno millesimo quingentesimo septuage-
simo nono, spreta morte hoc pacte pleraque
sacramenta ministravit, in hoc insuper lau-
dandus, quod alios quosdam parrochos,
maiori cautione cærimonias adhibentes,
& sibi à contagione sollicitius cauētes, ipse
sibi soli securus, non reprehenderet: huius
occasione queritur, quid de hoc modo &
ratione ministrandi censendum sit.

Responso.

Non potest non probari modus illo-
rum, qui spreta morte tali tempore
sacramenta cum suis cæmoniis ministrat,
sicut nec improbandus est illorum qui illas
vel omnes aliquas pro re nata omittunt.
Prior assertionis pars per 1. quia qui sic mi-
nistrant, faciunt officium virtutis; utrum-
que enim & sacramenta ministrare, & cæ-
remonias ab ecclesia præscriptas adhibere,
pertinet ad virtutem religionis, 2. quia ta-
les populi deuotionem & reuerentiam,
quam

quam erga sacramenta habere solent, fo-
uent & augent, quando vident pastore ad
maiorem illorum honorē etiam céremo-
nias, & solemnitates cum vitæ periculo ad-
hibere: postremo, quia cæremonias ecclæ-
siasticas, quas hæretici ridēt, hoc pacto ma-
ximè defendunt, quod est officium maxi-
mæ virtutis. Postremo probatur i. quia fieri
potest, imo morale & frequens est, vt mor-
bus ita violētus sit, vt statim vitam aut cer-
te mentem ægro eripiat, vel vt plurimi sint
iam peste infecti, rari autem aut nulli alii
sacerdotes, qui sacramentis ministrandis
vacare velint: his enim & similibus casibus,
laudabilius erit omissis ceremoniis, vel o-
mnibus, vel aliquibus, plures, alioquin sine
sacramentis morituros, iuuare, & secum
Christo lucrifacere.

Dices: Leges ecclesiasticæ de ceremoniis
in administratione sacramentorum adhi-
bendis, non obligant pastores cum pericu-
lo vitæ, debent ergo pastores illas omittere
& vitam conferuare.

R. Possunt si velint, non tamen tenen-
tur, possunt enim iuri suo cedere, & vitam
corporalem pro bono virtutis & spirituali
merito profundere, vt ante ex
alia occasione di-
ximus.

QVÆ-